

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

§. 6. De Ritu Praemonstratensium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

## §. V.

## De ritu Carthusianorum.

1. **S**acrosancta Religio Carthusiana, licet in ceteris Benedicti Regulam non agnoscat, ritum tamen Benedictinum in divinis Officiis observat. Paucis exceptis vix discrepat à Cisterciensibus, quibus ferè coœvi sunt. Coepit enim Cisterciem anno Domini 1098. Carthusia verò initium habuit anno 1086. ut putavit Baroniūs, vel 1084. ut ex monumentis Ordinis colligit in suo Brunone Theophylus Raynaudus. Ante Vigilias dicunt ter *Pater & Ave*. Post ultimam Antiphonam Nocturni recitant semel *Pater, & Ave, & Absolutionem*. Post *Benedictus* dicunt novem vicibus *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleyon* cum multis precibus. Privatis diebus ad preces adjungunt Psalmum *Miserere*: quas preces repetunt singulis horis. In fine lectionum ex Prophetis addunt, *Hec dicit Dominus, Convertimini ad me, & salvi eritis*. Ad Vespertas psalmos mutant pro diversitate festivitatum. Ad primam dicunt quotidiè Symbolum Athanasii. Ad salutationem Angelicam pulsant quater in die, post Matutinum, post Primam, post Nonam; post Completorium. Post Collectam dicto *Benedicamus Domino*, nihil aliud adjungere consueverunt. In reliquis, ut dixi, ferè conveniunt cum Cisterciensibus. Commendat eorum cantum Christus Salvator noster apud S. Briggiam c. 4. revelationum extravagantium: & Angelicam eorumdem psalmodiam elegantissime collaudat Franciscus Petrarca in prefatione lib. de otio Religiosorum. Sunt autem reverè Carthusiani magna orbis miracula, in carne extra carnem viventes, Angelos nobis in terra, & Joanem Baptistam in Eremo representantes. Sunt præcipuum Ecclesiæ ornamentum, similes aquilæ in celum volanti, quorum status universarum religionum institutis jure præfertur. Pius quidam, & religiosus Poëta apud Maximilianum Sandæum 9 in sua mystica Theologia Cartusianorum vitam, & mores hoc eleganti Epigrammate mirabiliter expressit.

Pallentem nuper rigidi Brunonis alumnū  
Sic adiit mundum linquere certus Odo.

q. Sand. lib. 2. comment. 3. exercit. 2. disquisit. 6. r. Ber-  
nard. Parthusius Epigr. I. 5.

*Ede Pater, quæ Cartusiæ fit regula vitæ.  
Quæ nox, quæve dies: quid singulant, quid agant:  
Ede quibus studiis hic vivitur. Ille racendo  
Fugit, & ingenuit. Non potuit melius.*

Historiam illam notissimam Theologi Parisiensis, qui post mortem tribus distinctis vicibus justè se accusatum, judicatum, & damnatum pronunciat; atque hujus Ordinis institutioni occasionem dedit, copiosissimè defendit Raynaldus supra citatus in suo Brunone, ubi plura de laudibus Cartusianorum Lector inveniet.

## §. VI.

## De ritu Premonstratenſum.

1. **N**ulla post Monachos Religiosarum Congregationum, quæ proprios ritus habeat, antiquior est Premonstratenſi, sumptus enim originem hic sacer, & Canonicus ordo à sanctissimo patre Norberto anno salutis 1115. habuitque aliquando plusquam mille Abbatias. Eorum ritus cum Romanis convenient, si pauca quedam excipias. Et primo quidem ante Vigilias nocturnas tres psalmos recitant cum quibuscum precibus, & orationibus. Deinde in ipsis Vigiliis ante Lectiones dicunt Versum, & Orationem Dominicam, sed non absolutions. Post nonum Responsorium concinunt *Te Deum laudamus*: & ante Laudes unum Versum semper praemittunt, quem vocant Sacerdotalem. In primis Vesperis solemnitatum magnum Responsorium concinunt post Capitulum. Ad omnes horas diei Hymnos variant pro ratione, temporum & festivitatum. Antiphonam B. Virginis, quâ terminantur Horæ, non nisi post Completorium cantant. Psalterium more Romano in dies & horas distribuunt, nisi quod Psalmum 117. Confitemini à Septuagesima usque ad Pascha diebus Dominicis non ad primam, sed ad Laudes dicunt loco psalmi *Dominus regnavit*, quem eo tempore canunt ad primam. De reliquo tam diurnum, quam nocturnum Officium eo methodo ordinant, quâ Romana consuevit Ecclesia: imo suum Breviarium esse existimant antiquum Romanum, quod purum ab ipsis conservatum sit, non acceptatis mutationibus, & novis ejusdem reformatiōibus.

XXXXX

§. VII. De